



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1657

§. 119. Petrus vero ait: ô homo non sum. v. 58.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45549

§. 118. *Et tu de illis es. v. 58.*

Si astutus fuisset Petrus, ut filii hujus sæculi, quæsisset utique ex ministro, hoc sciscitatore vicissim, de quibus de sedentibus utiq^{ue}, nam hoc videt. De male agentibus: id tu, si vir es, proba; & credam. Talia poterat isti homini oggerere Petrus; sed simplex erat, nondum noverat piscator nuper & proxime discipulus Christi modis eludendi scrutatores inimicos, posthac semel doctus experientia melius providebit & sibi & suo gregi.

Vere Domine, verum est verbum tuum; quod filii hujus sæculi sunt in generatione sua prudentiores filiis lucis; illi sciunt tam dextrè eludere tuus discipulus, & quidem princeps. Ecce quam est penè idiota! sed hæc est laus tuæ disciplinæ: ut sint discipuli tui simplices ut columbæ, utinam etiam sint prudentes uti serpentes, nam hoc sæpissime eis deest, quoties enim non decipiuntur ab hæreticis! plena sunt Acta publica, & historiarum Ecclesiasticarum.

§. 119. *Petrus vero ait: ô homo non sum. v. 58.*

Iam inculpavi simplicitatem nimiam Petri: nunc duplicitatem damno. Ecce enim in mente sua, ait *sum* Christi, & ore dicit *Non sum* ego Christi, ista, ô Petre, non est simplicitas, sed duplicitas, si aliud mente sentimus aliud ei, quod in mente est contrarium præfitemur. Non est hoc dogma scholæ Christi, ista docet si mente est, ut in ore est, & si in mente est Non sit in ore quoque *Non*. Deus meus, quantum in hoc genere hodieque peccatur! ubi enim est puer, terè loqui potens, qui non penè in horas singulas mentiatur; nisi providâ parentum curâ pusillus aliter instituatur.

O Parentes, O Magistri, obsecro vos per Christum intendite omni vi, ut mendacii verba dedoceatis vobis commissos: si veritatem dixerint, confitentes, nolite de eis timere pœnas ob ullum delictum, sed solum affligite mentientes. Ista methodo, docebitis veritatem loqui, sed aliter pro dolor facit imprudentia humana, mentientes absoluunt, confitentes puniunt. Hoc vero est docere & cogere ad peccatum.

§. 120. *Et intervallo facto quasi hora unius, alius quidam affirmabat, dicens: Veri & hic cum illo erat. v. 59.*

Quid de Petro amplius cogitem, vel dicam, via suppetit, nisi ut profundius in eo contempler omnium hominum communem miseriam, infirmitatem, infelicitatem, pronitatem ad culpam, ægrimoniam ad justitiam; & tantam quidem, ut non mirer fuisse Theologos, qui hanc considerantes, vix humano arbitrio reliquerint aliquam vim ad bonum operis sed